

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0397

0395

0401

0391

0406

0386

0446

0346

0496

0296

0896

Ende

Anfang

384

nullo modo progreditur camelus et stat et indignanter aspicit
nec procedit, nisi post se reducatur. Sed quia asinorum in-
cessus velocior est camelorum, quando longius progrediendum
est et festinantius, tunc funis cameli collo alligatur asini, ut
antecedente asino camelus ocios sequatur, ut dicitur in Le-
genda beati Jeronymi.

Dum autem camelus onerari debet, paululum super genua
percutiuntur et statim ad onera flexis cervicibus inclinantur
vel si homo manum super collum bestiae ponit et sibilum facit,
recurvatur in terram, ut oneretur, et totaliter se prosternit et
onera gravia sibi imponi permittit, nec corpus movet, sed ca-
put cum stridore grandi agitat, dum se gravari sentit. Hoc
faciunt minores cameli, sed non grossiores.

Dum multi cameli simul onerantur, fit horribilis rugitus,
qui eminus auditur per desertum noctibus. Onera autem im-
posita non ligantur super dorsum camelii per ventrem, nec
sellae eorum ligatae sunt sicut sellae equorum et asinorum, sed
simpliciter (**21 a**) super gibbum ponitur sella sine ligaturis
et super sellam ponuntur onera ad utrumque latus dependentia
aequali pondere, nec bestia transit, si sentit gravius pondus
in uno latere quam in alio, et capite extenso cum stridore
ostendit, in quo latere pondus sit gravius, et si non habetur
materia, quae imponatur, ut onus aequale fiat, accipiunt lapides
et defectum oneris supplent.

Porro si bestia sentit se plus gravatam onere, quam solita
sit portare, iterum non progreditur, nisi onus diminuatur, non
enim suscepit onus nisi suis viribus proportionatum. Dum
autem onera imponuntur, onerantes cantant dimissis vocibus
ad demulcendum bestias, et oneribus impositis surgit bestia
repente et quasi exultans per viam suam currere incipit et
iter sine pausatione continuat usque ad terminum suum con-
suetum; ad quem dum pervenerit, non amplius procedit, sed
onerata sibi deponi optat. In via nec baculis nec flagellis pel-
luntur, sed camelarii sequentes cantant hoc modo: Han na yo
yo an no ho ho oyo o ho etc. Cum bestia extra viam vadit,
larvo signo sibi manu dato redit, nec invasionem duram aut
percussionem patitur. Camelus turbatus stridorem mirabilem
facit et quandoque, sed valde raro, in tantum irascitur, quod

